





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
A P E R I T I V A  
M A R T I A L I V M  
V I R T V T E.

Q V A M  
C O N S E N S V  
G R A D V D O C T O R I S  
L E G I T I M E I M P E T R A N D O  
D I E V I . N O V E M B R . M D C C L X X I I I .  
S P E C I M I N I S L O C O O B T V L I T  
A V C T O R  
I A C O B V S S A L O M O N L V B O S C H V T Z  
P R A G E N S I S .

HALAE AD SALAM  
T Y P I S I . C . H E N D E L .

ДѢСІННІЯ ГІГАНТІВ  
АРІАДНІЯ  
МУЛА ГІГАНТІВ  
ЛІГУ ТІКІВ  
СІДО ГІГАНТІВ  
СІДО ГІГАНТІВ  
СІДО ГІГАНТІВ

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
APERITIVA  
MARTIALIVM  
VIRTUTE.

## §. I.

**S**i quod cavum, transitui corporis aut solidi, aut fluidi destinatum, impermeabile redditur: *occlusum* id esse dicitur; permeabile iterum factum, *aperitur*. Facultas itaque remedium, qua *occlusa cava aperit*, *virtus aperitiva* eius vocatur.

## §. II.

Occludunt cava 1° *rigiditas*, in membranis, quarum convolutio cava constituit formatque, enata; 2° *spasmus*, quo latera cavorum proprius ad se invicem accedunt; 3° *cavum comprimens*; vis extra cavum sita, latera tamen eius sic vrgens, ut proprius a se invicem, quam par est, distent; 4° *defectus roboris & distendentis liquidi*; inde enim collapsus nascitur; 5° *concretio* laterum; 6° *obstructio*, quae corpus aut solidum, aut fluidum ponit, cavitatem replens; 7° *tumor* aut *incrementum* laterum, quod *stenochoriam* nominare solent.

## §. III.

In tanto medicorum dissensu, nemo tamen de virtute martis roborante dubitat. Nec videtur eorum sententia a veritate abesse, qui statuunt, martis ope ideo robur restitui, quod partes eius, solidorum elementis sese interponentes,

A 2

dum

dum graviores sunt, attractionem, qua elementa in se nituntur et cohaesionem praestant, augent vividioremque reddunt. Atqui vis etiam omnis, quae tribui martialibus potest, ad roboran tem redit, siquidem nulla supersit, quae, si discesseris ab illa, assignari queat. Quam ob rem aperitiva martialium virtus (§. I.), ex comparata vi eorum roborante, qua laxis solidis medentur, cum causis, quae cava humani corporis occludunt (§. II.), intelligetur atque in apricum ponetur.

#### §. IV.

Accidere quidem potest, ut *rigiditatis* (§. II. n. 1.) causa in debilitate lateat; frequenter enim observamus, homines, quorum vires nimia optimorum succorum evacuatio exhaustit, aliis citius rigescere, femellarum exemplo, quae praematurum et foecundum matrimonium ineunt. Neque tamen oportet medicum, si ea occlusi caui causa obtineat, ad martialia confugere, vtpote quae rigiditatem, dum cohaesio nem augent (§. anteced.), omnino maiorem producerent. Debilitas praeterea ista, cui martialia medentur, *laxitas* est, quam dicunt; atqui ea debilitas, a qua rigiditas demum solidorum enascitur, cum *in defectu succorum nutrientium* consistat, non apte satis ad laxitatem referri potest. Quare *nutrientia* potius indicantur, quae cum optimos succos restituunt, tum gelatina, quam in sinu fouent, rigida solida relaxant.

#### §. V.

*Spasmodorum* (§. II. n. 2.) medela frequentiorem martialium usum admittit. Neminem enim fugit, quam facile fiat, ut partes, quas debilitas occupat, spasmus corripiantur; cui ita-

itaque mars opponi potest (§. III.). Accedit, quod spasmus saepe visciditati humorum originem suam debeat, quae, cum frequentissimus sit laxitatis effectus, martialium plerumque visum, ut tollatur, expostulat. Denique spasmī a stasi liquidorum, quam laxitas produxit, non raro proficiuntur. Quo itaque in casu martialia, dum contractionem vasorum intendunt stasinque ideo discutere valent, non poterunt non maximam mereri laudem.

### §. VI.

*Compressionis* (§. II. n. 3.) non absimilis est ratio. Fieri enim potest, ut id, quod eius causa existit, ad debilitatem, tamquam effectus, referri debeat; tumorum exemplo, quos debilitas, dum attrahit liquida, producit. Praeparata tunc mole comprimente eaque mobiliori reddita, martialia opem ferunt, restituendo id, quod perditum est, robur. Praeter id visciditas succorum, quam tollere martialia possunt (§. ant.), compressionem quandoque non minus, quam spasmum, efficit. Superflua denique humorum copia, compressione producta, saepe nocet. Neque vero fieri nequit, ut martialia, vi roborante sua se et excretiones restituendo, illam minuant tollantque.

### §. VII.

*Collapsus vasorum* (§. II. n. 4.) indicat cum repletionem corporis, tum roborantia. Quod ad *illam* spectat: eam quidem nutrientia praestant perficiuntque maxime, ut tamen martialia in ea re non multo inferiorem laudem mereantur; siquidem repletio corporis postulat, ut nutrientia non ingerrantur tantum, sed etiam in naturam animalem fluidaque,

A 3

quae

quae corpori hominis insunt, commutentur; quod quidem martialia praestant, labefactatas coctionis vires firmando refocillandoque. Forte etiam, dum partium martialium copiam suggerunt, sanguinis et cruoris praeparationem adiuvant; quod quam sit necessarium, si de replendo corpore medicus cogitet, nemo non perspicit. Alteram collapsus indicationem, quae roboris restitutionem imperat, manifesto martialia adimplent (§. III.), licet nutrientia, quae replent corpus, ideo quoque conducant, indicentur.

### §. VIII.

*Concretio laterum* (§. II. n. 5.) martialium usum, in se spectata, respuit. Contingit enim illa *vel* ita, ut latera cavorum immediate inter se cohaereant, *vel* ea ratione, ut per intermedium quoddam corpus iungantur. Quod priorem concretionis speciem spectat: ea, cum rigiditati respondeat, martialia renuit (§. IV.). Neque posteriori medentur martialia, cum nequeat restitutum etiam robur, corpus, cum lateribus vasorum iam concretum, propellere et vincula illa frangere, quorum id ope cum cavorum parietibus cohaeret. Emollientia potius indicantur.

### §. IX.

*Olfstructionis* (§. II. n. 6.) plures dantur causae, quibus missis iam reliquis, laxitas et visciditas adnumerari debent. Laxitas enim vim solidorum diminutam ponit; lentius itaque, ea praesente, liquida promoventur; qui lento magis magisque crescit, cum vel semetipsum augeat atque laxitas etiam maiora incrementa, temporis mora, capiat; fit demum inde, *ve*, causis omnibus incrementalibus, lentescens fluidorum motus

motus in quietem eorum plenariam degeneret, quiescens fluidum, ob moram contraetam, crassius evadat spissiusque, obstruettio denique nascatur; cui, iunctis resolventibus, martilia quam optime medentur, siquidem laxitati adversa (§. IV.). Visciditatis, vt obstructionis causae, paene eadem ratio est. Infert enim lentorem fluidorum, laxitatem solidorum; iuncta itaque resolventibus martilia utriusque obstructionis causae satisfacere posunt.

### §. X.

Supereft *stenochoria* (§. II. n. 7.), quacum martialia comparare nos oportet. Quae, si forte ab aequali laterum incremento, quod rigiditati aequiparari potest, proveniar, martialium vsum, utpote inutilem (§. IV.), damnat atque nulla ratione indicat. Nec poterunt facile martialia, si tumor laterum, quae cava formant, stenochoriae causa existit, in aegri commodum adhiberi, nisi tumor forte plus minus a debilitate oriatur, atque ideo martem, fere ut de causis comprimenti bus dictum est (§. VI.), admittat indicetque.

### §. XI.

Est ea excretionum ratio, ut pervia ea cava ponant, per quae contingere debent. Forte hinc factum, ut aperitivam martialium vim suppressarum excretionum restitutioni accommodaverint viri, de re medica meritissimi. Atque, licet fatendum sit, posse excretionum naturalium suppressionem incidere, quamvis excretoria cava satis pervia sint, cum tamen plerumque impermeabilitas eorum accusanda veniat, non im merito hic quaestio, quae revocationem excretionum suppressarum, martialium visu praestitam, respicit, dirimi potest, missis

ta-

tamen istis suppressionum causis, quarum ratio ex praedičis perspici potest atque intelligi.

### §. XII.

Accidit saepe, vt, ex virium languore, excretiones naturales supprimantur; moles enim excernenda vim sibi quandam, quae supereret inertiam suam, vindicat; qua itaque languente fieri aliter non potest, quin excretio plus minus supprimatur. Atqui martialia vi roborante gaudent (§ IV.) Quare excretiones, inde ab ista causa suppressae, revocari possunt. Docent id martialia, quae languentem excretionem alui-  
nam, quandoque ad diarrhoeam usque, intendunt.

### §. XIII.


Fieri quoque potest, vt excretio naturalis ideo languescat, quod corpus excernendum, licet nullus collapsus adsit, deficit; mensium exemplo, quos nimia serofitas supprimit. Quo in casu martialia, cum corporis robur restituendo, opem quandoque ferre possunt, excretionis suppressae restitutioni inserviunt.

### §. XIV.

Ex praedičis caeterum perspici potest, quod (cum toties spissitudo humorum adsit, quando martialia, vt aperiantur canales, usurpantur), his quidem resolventia, in utilitatem aegri, iungi queant, incidere tamen casus, qui martialium usum expostulant, omissis omnibus resolventibus. Quandoque enim tantum abeat, vt resolutione opus sit, vt potius humores aegri nimia tenuitate laborent.

Halle, Diss., 1773-74  
X 230 9444





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**APERITIVA  
MARTIALIUM  
VIRTUTE.**  
1773  
540  
j

QVAM  
CONSENSV  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO  
**GRADV DOCTORIS**  
LEGITIME IMPETRANDO  
DIE VI. NOVEMBR. MDCCLXXIII.  
SPECIMINIS LOCO OBTVLIT  
AVCTOR  
**IACOBVS SALOMON LVBOSCHVTZ**  
PRAGENSIS.  
HALAE AD SALAM  
TYPIS I. C. H E N D E L.

X10808